DE

SANA ET MORBOSA PINGUEDINIS IN CORPORE SECRETIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSIOLOGICO MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESCENDIS
DIE XXI. M. IUNII A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GOTTHELFUS CONST. GRÜNE
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
F. DONATH, MED. ET CHIR. DR.
E. VOIGT, MED. et CHIR. DDR.
E. WERNER, MED. ET CHIR. DDR.

BEROLINI,
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSSRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIEN-

TISSIMO

J. BÜTTNER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHIRUR-
GORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, IN-
TITUTI FRIDERICO-GUILELMANI ET ACADEMIAE MEDICO-
HIRURGICAE DIRECTORI: ORDINIS REGII DE AQUILA
UBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE
ECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. VLADIMIRI,
EC NON ST. ANNAE, ORDINIS REGII SUECICI VASANI
RDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

C. L. BIESKE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI IN LEGIONE LORICATA PRAETORIA MEDICO SUPREMO, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA, CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA EQUITI etc. etc.

FAUTORIBUS SUIS BENEVOLENTISSIMIS

TENUE HOC OPUSCULUM

PIA GRATAQUE MENTE

SUMMAQUE, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Quemadmodum in tota corporis animalis œcono-
nia, quaevis materia certis secernitur regulis, cer-
umque spectat scopum, ita quoque adipis secre-
onem, licet densis adhuc tenebris obductam,
ertum in finem perfici, et ad vitam corporis ser-
andam, necessario requiri, in aprico est; quum
ullum corpus adeo emaciatum sit, quin pingue-
inis aliquid contineat. De obesitate vero tracta-
uro mihi, haud supervacaneum esse videtur, ini-
o quaedam circa adipis naturam generationem
umque praemonere, quibus pertractatis, ad pe-
tiorem obesitatis investigationem, nos accingere,
opositum est.

Sub pinguedinis vocem, oleum vel fluidum
eo simile, saporis odorisque plane expers intelli-
nus, quod in corpore animali secretum, ubique

sub cute in tela cellulosa, in musculorum, nervorum maiorum, ossiumque intervallis, in artuum cavis, praecipue vero in abdominis cavo invenitur. Materiam vero, quam generali nunc pinguedinis nomine designamus, pro variis, a quibus obtinetur animalibus, varioque, quo accumulatur loco, variae esse indolis, manifestum est.

Attamen discrimen inter varias pinguedinis species, quippe quod consistentiam solummodo respicit, tanti non est momenti, ut propria quaevis indigeat denominatione. Veteres tamen multa pinguedini dederunt nomina. Graecis enim πίμελη, πίαρ πίειρον, στέαρ, ἀλοιφή.

Quae nomina Romanis adeps, sevum axungia, sagina, unguen, venerunt. Hisce vero variis nominibus veteres, varia pinguedinis genera designasse, ex Aristotelis Pliniique 1) verbis arguere licet. Plinius 2) haec habet. Cornigera una parte dentata, et quae in pedibus talos habent, sevo pinguescunt. Bisulca scissisve in digitos pedibus, et non cornigera adipe. — Nos quidem in hoc opusculo modo hoc, modo illo nomine, discrimine nullo interpositio, uti decrevimus. —

1) Aristoteles de part. anim. Lib. II. Cap. 5. oper. edit. val T. Pag. 984.

2) Plinius Hist. natur. Lib. XI. Cap. XXXVII. Pag. 302.

Adeps in corpore humano vivo, utrum inter rigidas, an fluidas corporis partes sit numeranda, multum veteres scriptores rixabantur, quorum sententias Albertus Laerentinus recensitas nobiscum communicat. Nec tamen hanc contraversiam recentior aetas sustulit. Lorrius enim aliique nonnulli, plurimis veterum in hoc adnuerunt, quod sani corporis adipem, rigidum durumque esse contenderint; hoc vero multi, quorum solummodo, virorum celeb. Reil, Walter, Autenrith, memorasse sufficiat, denegant, dicentes, pinguedinem in corpore humano esse mollem liquidamque, et quasi oppositam rigidiori textui celluloso. Utraque vero certantium pars, a vero plus minusve recessisse, nec sat perspicuis argumentis causam egisse videtur, hi enim, quia pinguedo mortuo corpori desumta, leni iam colore liquescit, adipem dum in corpore vivo fovetur, cuius calor innatus longe maior est, quam qui ad liquifaciendam emortuam pinguedinem requiritur, necessario liquescere, concluderunt, nec sat perpenderunt, pinguedinis consistentiam, non pro innato corporis calore, sed pro universi corporis indole differre, ideoque in variis variare animantium generibus. Illi autem adipem rigidis partibus adnumerantes, in eo errasse videntur, quod cellulas aut vesiculas, pinguedinem in se continentes, cum ipsa pinguedine confuderunt. Quare

quae media inter memoratas modo auctorum opiniones est, nobis potissimum arridet, pinguedinemque liquidas inter et rigidas partes medium tenere, et unguentum quasi animale, cuius usus infra nobis exponendus veniet, sistere, censemus.

Pinguedo olei adinstar omne connubium cum aqua, tam frigida quam calida respuit, a qua quidem pondere superari, constat, quo fit ut obesi homines facilius aquae innatare, tardiusque quam macilenti, in fundum corripi possint. — Adeps difficilius quidem sed tandem a flamma consumitur, igni enim impositus, illico fumat crepitatque, mox adeo effervescit ut foetidissimos emittat vapores, subitaque flamma efflagret. Omnes corporis humores, incipiente corruptela, in superficie pinguedine obducuntur, quod butyri e lacte parandi, inventioni occasionem praebuit quod auctor libri (de moribus Lib. IV. art. XXV. No. 20. usq. 29. edit Lind) comprobat.

Secundum Lorrius massa, quae adeps dicitur ex duabus constat partibus, quarum altera oleo e seminibus plantarum expresso, admodum similis, altera herbarum nutrientium muco congrua, non in omnibus corporis partibus, aequali modo per adipem ditsributa est.

De glutine animali, quod Autenrith 1) ad

1) Autenrith's Handbuch der empirischen menschlichen Physiologie.

pinguedinem formandam multum conferre, contendit, nondum liquet, utrum proprium sistat elementum, an a muco Lorrii constituatur, eodem dubio aliud quoddam pinguedinis elementum, idque biliosum, quod Lorrius adipi inesse contendit, premitur, quamquam haud in dubium vocari possit, mirum inter bilem et adipem esse connexum. —

Defuncto corpore, adeps ei desumtus, simili ratione quam ceterae corporis partes, peculiari tamen modo, putredine corripitur. Quodsi enim adeps vi vitali destitutus, aëris imperio aegrius obtemperet, primum in partes e quibus composita erat, in mucum scilicet et oleum, rursus disiungitur, corruptela autem amplius procedente, viridis rente obtectum involucro, in rancorem abit, tandemque omnia in saponem odoris quidem fragrantissimi convertuntur. Quod causas rancoris attinet, hae in connubio partis setaceae adipis, cum aëris atmosphaerici oxygenio, quo adeps oxydatur quasi, et adulteratur, consistere videntur, hinc quoque patet, quare animalium pinguedo, quippe quae maiori oxygenii copia polleat, facilius in rancorem abeat, quam herbarum oleum. Chemica autem via recentiore potissimum aetate adeps in varia disiungitur elementa

1. in hydrogenium, palmarium omnium oleorum elementum, hoc autem elemento adeo

abundat, ut merito existimari queat, quidquid hydrogenii per pulmones exhalari non possit, in adipem converti, quare ubicunque respirationis officium diutius supprimitur, atque contra hepatis functio, (quam hydrogenii generationi inservire vix est, qui negaverit) ex antagonismi legibus, eo magis vigeat, ibi quoque adipis secretio mirum in modum adaugetur.

Hac quoque hydrogenii abundantia, pinguedo plantis quodam modo congrua redditur, et vegetiori musculorum vasorumque naturae, quasi opponitur.

2. Alterum quod chemica arte ex dipe obtinetur elementum, est carbonium quod quoque adipem plantarum naturae similiorem reddit.

3. Tertium denique pinguedinis elementum est oxygenium, cuius minorem tantum continet copiam.

4. Denique et gasis azootici paullulum adipi inest. Ope destillationis ex adipe decimam partem aquae, amonio non adeo quam ceterae corporis partes, abundantis, decimam partem carbonii quadruplicem olei empyreumatici, obtinemus. Acidum, quod dicunt sebaceum, cuique venenatam vim recentiores adscribunt, alii adipi inesse confirmant, alii negant, quum vero hoc acidum, ni igne probetur pingue, nequaquam obtineatur,

huius artificii potius productum, quam innatum pinguedinis elementum, vocaverim.

Hisce perlustratis non ab re erit, de adipis generatione, dictis aliquid addere, qua quidem de re, multae existunt hypotheses, quas breviter percurisse iuvabit. Vetustissimas tamen de adipis generatione sententias, omittam, quippe quibus admodum fabulosis, nil veri inest, alii enim, miro phaenomeno, quod homines animaliaque evirati, magnam adquirant pinguedinis copiam, in errorem adducti, adipem a semine derivarunt, alii eius officinam in pancreate posuerunt, alii in systemate venae portarum, quae hypotheses, quam humilis sint momenti, quispiam perspiciet. —

Recentiore aevo, postquam glandulae vel cryptae sebaceae detectae fuerunt, Hunter et Malphigi, omnem corporis adipem glandulis parari, perperam opinati sunt, Janssen vesiculas sebaceas exigui admodum luminis, se observasse contendit; fuerunt qui pinguedinem ex adipe cibis admixta secerni affirmaverint, falsam autem esse hanc opinionem eo certiores reddimur, quum animalia herbivora, quamquam cum gramine nil adipis vescantur, tamen magna polleant pinguedinis copia. Tandem Haller primam adipis transudatione per arteriarum parietes oriundi ideam excitavit, ipse vero praeformationis theoriae, cuius auctor exsti-

tit, nimium tribuens, adipem in sanguine praeformatum existimavit, porro adhuc multae existunt hypotheses e. g. Homii, qui adipem ex remanente chylo in intestino duodeno ope bilis admixtae parari, credidit, sed haec opinio et multae aliae, vix dignae sunt quae memorentur. — Hydrogenium praevalens esse adipis elementum, scimus omnes; quo igitur plus hydrogenii sanguini inest, eo maior faventibus scilicet ceteris conditionibus, adipis copia secernitur, omnes itaque causae, quae hydrogenium in sanguine adaugere valent, adipis generationi quam maxime favent, exemplum habemus in hominibus potui spirituosorum deditis. Quum vero negari non possit, quin adeps quoque ad nutriendum corpus aliquando perpendatur, ubi nempe corpori non sufficiens alimentorum copia inducitur, adeps rursus in sanguinem resorptus, alimentum sistit, duplex idcirco pinguedinis origo adsumi licet, 1) ex superfluis alimentis, quae in corporis nutritionem converti non possunt, adeps secernitur, quo, tanquam alimento, corpus ubi extraneis caret nutrimentis, e. g: in febribus utitur, quam utilitatem Hippocrates 1) perspexisse iam videtur, videmus quoque homines pinguiores facilius famem perpeti posse, quam macilenti, quid? quod fortasse

---

1) Hip. Aph. sect. II. Aph. 28.

ex lentiori illorum temperamento argui potest. — Evidentius autem exemplum habemus, in animalibus hyberno tempore dormientibus, quae autumno tantum colligunt pinguedinis, quanto ad nutriendum corpus per hyemen indigent. Huc quoque pertinet, quod Cameli inter longa itinera per deserta, tuber amittant. 2. Adeps praeterea quoque omnibus causis augetur, quae directa via respirationis officium, sive per pulmones, sive per cutem, laedunt et hydrogenium, plus quam par est, adaugent, haec quidem pinguedinis secretio, morbosa est, de qua infra fusius tractare, propositum est. —

Iam de locis disserendum est, quibus adeps invenitur. Duplex existentiae adipis est ratio. 1. Adeps in statu libro quo facillime oculis observari potest, uti in tela cellulosa, cavo abdominis etc. etc. 2. Adeps in statu latente, quo in cerebro adest. Quem locum adeps in textu celluloso obtineat, quamquam id et rudi anatomia, explorari possit, tamen veteres peculiarem adipis panniculum statuentes, de modo quo adeps in contextum cellulosum inseratur, subtilissimam construxerunt hypothesin.

Recentiori demum aevo, peritissimi tandem anatomi, hanc quoque materiam illustraverunt, constat enim, adipem in inferiori corii parte, innumeris vesiculis membranaceis esse circumseptum,

in superiori autem corii parte cryptas sebaceas adesse, sacculos scilicet parvos, qui in cutis superficiem exeuntes, ope sevi cutanei in ipsis secreti, cutem lubricam et lentam conservant. 1) Illas vero vesiculas, quas oculus ope microscopii cernere potest, et in medulla ossium et in reliquo adipe, quamquam inter se modo maiora, modo minora Glomuscula exhibeant, quibus nutriendis rete vasorum sanguiferorum conducit, inter se nullo vinculo coniunctas esse, ideoque seiunctam esse adipis tam exiguam partem a reliquo, aliqui scriptores contendunt, tantum tamen abest, ut huic sententiae adnuamus, ut potius contrarium affirmemus, ad quod probandum, exemplum adducam struthionum ab afris venatu occisorum, qui facta in cervice incisura, omne pingue e corpore emittunt. Adipem et in emaciatissimo corpore esse, scimus omnes, tamen non omnibus locis inest, neque ubicunque contextus cellulosus adsit e. g. in membranis fibrosis tendinibus etc. etc. animadvertitur, hinc quoque Hunter 1) textum cellulosum, in reticulatum et adiposum distinxit Verum non solum in corporis superficie, adeps diffunditur, sed etiam paene omnium musculorum

---

1) Ludewig de humore cutem inungente Lips 1748. in Hall. diss. anatom. Tom. VI. pag. 33.

1) Medical observation and inquiries. Tom. 2. p. 29.

intervalla, et lacunas implet, idem inter fasciculos nervorum maiorum invenitur, in cavo ossium idem una cum tela cellulosa penetrat, quo loco ossium medullam exhibet. Nec tamen omnibus externis corporis partibus, adeps aequaliter dispergitur, sic e. g. partes, quae impressioni magis expositae sunt, uti vola manus planta pedis et humeri cavum, maiori pollent pinguedinis copia. Eadem obesitatis varietas in internis partibus observari licet, sic bulbus oculi involucro sebaceo abundat, omentum et mesenterium tanta gaudet adipis copia, ut nonnullis ipsa pinguedinis fabrica visa sint. Contra aliae partes praesertim quae nervorum imperio submissae, quaeque conspicua gaudent sentiendi vi, adipe prorsus destitutae sunt, uti sensuum organa, genitalia etc. etc. nae autem partes, aliud simile quidem elementum natura obtinuerunt, materiam dico pituitosam et serosam.

Adeps deinde non solum copia, sed etiam qualitate, variis variat vitae aetatibus, in foetu quinque mensium, nil fere pinguedinis invenies, n semestri iam adipis quidquam observari potest, n trimestri tandem materies tremula gelatinosa ub cute animadvertitur. Iam in infante recens ato, adeps in dies augetur, prae ceteris aetatibus inguedo mollior, candidior subtilior aequaliter

sub cute dispergitur. Iuvenili demum aetate adeps diminuitur, tunc ingruente virili aetate paullatim crescit, donec quandoque in morbosam convertatur obesitatem. Senili tandem aetate, adeps rigidior et magis flavidus factus, in dies absumitur, hinc habitus senilis repetendus videtur.

Ex hisce modo dictis, luculenter adparet, quantae utilitatis modica adipis secretio sit, adeps tanquam tenerrimum cutis pulvinar, ubique aequaliter dispergitur, et ad pulchram formam multum confert, agilitatem musculorum adiuvat, quare in cavis articularibus tam copiose invenitur, cutaneum praeterea sistit unguentum, quo cuticula ab externis servatur damnis, hinc quoque patet, quorsum labia hominum macilentorum frigori exposita scindantur, ex hoc fortasse fonte, pruritus quoque senili aetati proprius derivari potest. Deinde pinguedo pilorum est fomes, ubi enim pili ibi pinguedo, hinc quoque pili post graviorem morbum, quo pinguedo absorptus fuit, decidunt, atque ubi pili anomale apparent, e. g. in ovario muliebri, aut in atheromate, ibi quoque semper pinguedinis aliquid observatur. Dynamicus fortasse adipis est usus, quod calorem animalem cohibeat, neque facile dimittat, quam ob causam pinguedo in omento accumulatur, ut calorem ad digestionis officium admodum necessarium,

contineat. Ad chemicos pinguedinis usus Burdach 1) dephlogisticationem sanguinis refert.

Quemadmodum normalis adipis secretio corporis humani saluti prospicit, immo bonae valetudinis est signum, ita pinguedinis secretio, ultra normam tendens, quae nimiae obesitatis nomine scriptoribus venit, inter morbos numerandam esse, vix quisquam dubitaverit, tamen veteres scriptores, quorum primus Galenus obesitatis utpote morbi mentionem fecerat, multum haesitabant, an obesitas morbis adtribuenda sit, nec ne? Reçentiori tandem aevo, Lorrius obesitatem non solum a legitima recedere sanitate, sed etiam ad cachexias pertinere, et maximam interesse similitudinem, inter obesitatem nimiam et hydropem, luculenter firmisque argumentis confirmavit.

Supervacaneum plane videtur, de differentiis, quae inter obesitatem nimiam, graviditatem, hydropem, tympanitidem, aliosque similes quosdam morbos, statui possint disserere, quum vix ac ne vix quidem cum hisce morbis, commutari possit noster morbus. Gravioris tamen momenti, est discrimen inter nimiam obesitatem et statum

---

1) K. F. Burdach Physiologie Lips 1810. p. 537. §. 383. durch die Bildung des Fettes wird das Blut dephologisirt bekommt also ein relatives Uebergewicht an Sauerstoff.

illum quem, veteres iam πολύσαρκιαν nominare consueverunt, statuendum, hic enim status, in sanguineis potissimum hominibus occurrens a sanitate tantum abest ut recedat, ut potius cum summo omnium actionum vigore, praecipue vero musculorum robore, coniunctus sit. Nimis vero obesus plerumque phlegmatici temperamenti, laxis praeditus musculis, artus vix movere potest. — Ad peculiaria obesitatis signa, mollitiem et glabritiem cutis, vasa sanguifera e cute plane recedentia etc. etc. referimus. —

Restat adhuc, ut de locali pinguedinis accumulatione anomala, dictis aliquid addamus, haec enim vel capsula cingitur, vel tenui solum cuticula involvitur, atque tumorum cysticorum, vel quoad consistentiam meliceridum, lipomatum et steatomatum nomine a medicis salutatur. In ipsa universali corporis obesitate, haud adeo raro lupiae spuriae inveniuntur quae nulla obvolvuntur capsula, quod ipsam tumorum cysticorum capsulam attinet, plurimi eam e cellulosa per adipis massam magis coagulante compositam, opinantur; quum vero adeps saepe locis insit, in quibus ipse capsula omnino carent, uti in ovario muliebri, capsulam quoque primitus adfuisse, et ipsum adipem generasse, contendere cogimur.

Symptomata nimiae obesitatis molesta, haecce fere sunt; ob pinguedinem inter musculos tendi-

nesque interpositam, vel impedita vel plane praestricta est corporis mobilitas, porro obesi semper anhelosi fiunt, partim quia absque maxima molestia, artus movere non possint, partim quoniam abdominis musculi, quin ipsa abdominis viscera nimia adipis copia abundent, atque ita diaphragma huic oneri cedens, in pectoris cavum reprimant, quo thoracis cavum non minus quam musculi intercostales coarctentur, et respiratio inde impediatur, oportet, praeterea plethora ad spatium, saepe obesi laborant, tamen non credendum est; quod veteres contenderunt, adipem in vasa sanguifera intrare. A plethora vero modo memorata, cerebrum praesertim infestatur, quare obesos vertigine et apoplexia corripi, saepe observatum est.

Neque minus vero vasa lymphatica in obesis laborant, quid? quod vel transitus obesitatis in hydropem confirmat, vel mirum id phaenomenon, quod obesi ad morbos contagiosos grassantes magis proni sint, quam macilenti. Deinde quoque systema gastricum affectum est, frequens enim nausea et vomituritio, obesi propriae, hoc maxime suadent, quae tam mechanico modo, pressione scilicet pinguedinis in omento in ventriculum oriuntur, quam dynamico, ob vitia hepatis, quae semper obesitatem comitari, supra pluribus monuimus. —

Saepe tandem obesos homines, impotentia sexuali laborare, observatum est, et obesae mulieres ubi foecunda concubitu conceperunt, maximis, tam inter graviditatem, quam inter partum, obnoxiae sunt molestiis. sufficiant haec pauca ne opusculi limites transgrediar.

Proxima obesitatis nimiae causa, ex peculiari a systematis lymphatici debilitate, istae haud dissimili, quae in hydrope observatur, repetenda esse videtur; morbum idcirco ad cachexias pertinere, facile elucet, propterea, quum convalescentes e graviori morbo e: g: haemorrhagia, aut febre nervosa saepenumero magnam adipiscantur pinguedinis copiam, infantes scrophulosi saepe pinguedine abundant, robore tamen carent.

Ad causas praedisponentes pertinent, diathesis hereditaria, ex obesis enim parentibus obesi fere semper nascuntur liberi, terrae quoque situm et clima multum ad obesitatem conferre, experientia manifestatur, ita incolae frigidarum humidarumque regionum obesos saepe videmus, contra calidarum regionum homines, quippe qui plus hydrogenii transpirent, minus obesitati obnoxii sunt. Inter occasionales causas, nimiam tam animi quam corporis tranquillitatem, atque otium ponimus, quare qui somno utpote maximo otio dediti sunt, neque corpus sat exercent, obesi fiunt, itidem in melaocholicis, qui

sedentariam colunt vitam, observatur. Quod tandem animalia evirata facilius pinguescant, in hoc causam quaeri debemus, quod non uti cetera animalia, potentissimo illo amoris venerisque desiderio vexentur, ideoque tranquilli semper sint animi.

Prognosis semper infausta est, praesertim si altiorem iam gradum adeptus est morbus. Periculosissima autem ea est species, quae diathesi hereditariae suffulget, cuiusque praedisponentes causae adeo validae fuerunt, quae remediis vix removeri possint. Attamen multa extant exempla sanatorum ex obesitate hominum.

Medela.

Uti in omnibus cachecticis morbis, ita et hic medicus plus diaetetico regimine quam pharmaceuticis remediis efficit. —

Indicationes therapeuticae haec sunt. Prima, ut iam cumulatum in corpore adipem removeamus.

Altera ut novam accumulationem praepediamus.

Uti supra iam monuimus, diaeta apte instituta, multum proficere possumus. Derelinquat idcirco, si fieri potest, aegrotus habitationis locum, abstineat, praeterea ab immodica ciborum praesertim aromate conditorum esca. Vitanda porro sunt

potulenta spirituosa, paululum tantum vini generosi concedatur. —

Nimia corporis et animi tranquillitas fugienda est, praesertim somnus cohibeatur oportet.

Quum therapeutica sanandi ratio, quippe quae tam obscuram debellatur causam, admodum incerta sit, supervacaneum esse censeo, omnia medicamina a veteribus et recentioribus medicis commendata referre, et sufficere credo, nonnullas atque praecipuas sanandi methodos, paucis recensere.

Fuerunt, qui frequentes venae sectiones, ad minuendam pinguedinem commendaverint, sed hi obesitatem cum polysarcia confudisse videntur, praeterea quum testante experientia, post parvas easque frequentes venae sectiones pinguedo in dies adaugeatur, quod ex debilitante huius methodi vi derivari potest. Ni igitur molestum quoddam symptoma, uti vertiginem a plethora ad spatium exortam, removere studeamus, a venae sectionibus abhorrendum est. — Idem valet de hirudinibus etc.

Quod purgantia attinet remedia, haec a tot tantisque laudantur viris, ut ab iis, caute duntaxat adhibitis, multum sperare possimus. Emetica quandoque obesis profuisse, experientia testatur, respiciendum tamem est, ne eorum stimulo sanguis ad caput vehementius impellatur, praesertim

quum obesi ad apoplexiam tam proni sint. Iam recensenda venit methodus diaphoretica, cui plurimum in hoc morbo confidere possumus, in hoc enim omnes medici amice conspirant, calorem obesitati inimicum esse, difficiliusque eos pinguescere homines, qui frequenter sudent. Maximum igitur in obisitatem remedium, in diaphoresi habemus, obesus igitur aegrotus diaphoretico utatur regimine, et cutem leniter madescentem semper conservet, quare cutis volatilibus saepe infricetur remediis et balneis calidis caute quidem utatur aegrotus:

Porro et diuretica laudantur contra obesitatem remedia, quae tamen purgantibus, non anteponenda videntur, Tandem acida a plurimis iisque praestantissimis medicis, ad diminuendam obesitatem laudantur, prae omnibus autem acidum aceticum laudem meretur, cavendum tamen est, ne frequentiore eius usu ventriculus ad indurationem pronus reddatur. —

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Gotthelfus Constantinus Grüne tertio decimo mensis martii die anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi Neuhammer, pago Silesiae inferioris natus atque confessioni evangelicae addictus sum. Patrem habui Benjamin Grüne cuius iam plures per annos diem supremum lugeo eheu! nimis mature obiit, matrem e gente Colbe adhuc vita et valitudine gaudentem.

Usque ad annum decimum sextum a praeceptoribus privatis in litteris linguisque, quae viam ad studia academica praemunire solent, institutus sum.

Anno millesimo octingentesimo decimo quinto, exorto cum Franco-Gallis bello chirurgi militaris munera suscepi.

Die primo m. Aprilis anni millesimi octingentesimi vicesimi primi Berolinum vocatus, atque in academiam medico chirurgicam militarem receptus sum, inclytae universitatis Litterariae Perillustrissimorum Prefessorum, quorum memoriam nunquam ex animo grato dimittam, per septem semestria praelectionibus interfui: De Botanice Ill. Link, de Physice, Chemia et Pharmacia Cel. Turte. In omnibns, quae ad anatomiam pertinent, disciplinis Ill. Rudolphi et Knape duces mihi fuerunt. De Physiologia atque anatomia comparata Ill. Rudolphi, de medicina forensi nec non arte formulas conscribendi medicas Ill. Knape disserentes audivi. Materiam medicam Cel. Osann, Pathologiam generalem, Therapiam et Semioticen Ill. Ch. Hufeland et Cel. F. Hufeland, Pathologiam specialem Ill. Horn mihi tradiderunt. In chirurgicis Ill. Graefe, Ill. Rust, Ill. Kluge me instituerunt, in arte obstetricia Ill. Kluge praeceptore gavisas sum. Clinicis interfui institutionibus Ill. Neumann et Ill. Rust.

Anno millesimo octingentesimo vicesimo secundo nosocomium caritatis Berolinense adii, ibique per menses sex chirurgi munera suscepi.

Tentamine nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut defensa hacce dissertatione summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nulla febris sine affectione topica.

II.

Narcotica remedia in sanguiferum magis et primario agunt, quam in systema nervorum.

III.

Plica polonica morbus est totius corporis.